

1978

M

388
(16)









W (21) 885 MBF Leipzig
31
UNIVERSITÄT
MAGDEBURG
1788
IOANNES LVDOVICVS SCHVLZE

S. S. THEOL. PROFESS. PVBL. ORD.

ET ORPHANOTROPHEI GLAVCHENSIS CONDIRECT.

DISPV TATIONE

DE

FESTO SANCTORVM LVMINVM

EX

ANTIQVITATIBVS CHRISTIANIS

SACRA NATALITIA

DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI

RELIGIOSE CELEBRANDA

INDICIT

HALAE MAGDEBVRGICAE

LITTERIS IOANNIS CHRIST. HENDELII

MDCCLXXVIII.



Kassel 78M 388 (16)

AK

Insant dies sacri, *Humanissimi Ciues*, quibus memoriam nati Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi pie recolemus, imitaturi morem laude dignum, quem iam inde a Seculo quarto inter eos qui Christi nomen et sacra profitebantur, obtinuisse constat: ne iam de illis dicamus, qui sollemnitatis illius vestigia, sed minus certa, Seculo tertio vel secundo, immo etiam primo, deprehendi putant. Non eodem quidem nomine venit, nec eodem vbique locorum tempore celebratus est dies iste natalis Christi, omnes tamen, nobis, qui Iesum Christum salutis nostrae vnicum reparatorem veneramus, diem illum carissimum esse debere, intellexerunt, et si neque de nomine, neque de ipso sollemnium die primis ecclesiae temporibus inter omnes conueniret.

Aptissimum huic Christianorum sollemnitati videtur esse nomen, quo CHRYSOSTOMVS ET GREGORIVS *nazianzenus* passim in Homiliis suis vtuntur, qui festum natiuitatis Christi appellant *γενέθλιον ήμέραν*, aut *γενέθλια τοῦ Σωτήρος*. Idem dicit nouissimum illud nomen *Ἐπιφάνεια*, quod tamen, qui subtilius loquuntur, distinguunt a plurali nomine *Ἐπιφάνια*. Scilicet *ἐπιφάνεια*, si SVIDAE interpretationem sequi velimus, non de tempore memoriae Christi nati sacro dicitur, sed est *ή τοῦ Σωτήρος ήμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἔνσαρκος οἰκονομία*, 1) h. e. manifestatio Christi in carne. Recte quidem, si accuratius loquimur. *Ἐπιφάνια* enim dicuntur dies illi laetitiae pleni, quibus Natalium Christi obeunda est memoria. Ita esse nos docet EPIPHANIVS, qui Haeresi Ll. n. 16. vim nominis illius exprimit per *ήμέρα τῆς αὐτοῦ (Κυρίου) γενήσεως κατὰ σάρκα* 2)

Haec

- 1) *Οἰκονομία* nomen frequens est Patribus graecis, quum de natiuitate, seu, vt hoc iam vtamur termino, incarnatione Christi, loquuntur. Multis omnino locis solo isto nomine vtitur *Theodoretus*, si de mysterio coniunctionis naturae Christi diuinae cum humana loquitur. Quam *ἐνανθρώπωσην* vocat, eam saepius dicit *μυστήριον οἰκονομίας*, nec non *οἰκονομίαν μετὰ σαρκός*, vel *κατὰ σάρκα*. (Edit. quae hic prodit, T. I. p. 966. T. III. p. 55. 59. 551. 683. T. IV. p. 423. T. V. p. 13. & 22.) Eodem sensu nomine *οἰκονομία* vtitur IOANNES *Damascenus* (de Fide orthod. l. III, c. 1. 2.) Idem significatur phrasibus in libris Patrum frequentissimis *οἰκονομία τῆς ἐνανθρώπησεως* et *ή κατὰ τὸν ἀνθρώπων οἰκονομία*. Nec aliud quid innuit EUSEBIUS, quum in limine Historiae suae ecclesiasticae ait, se initium esse factum *ἀπὸ πρώτης τῆς κατὰ τὸν Σωτήρα καὶ κύριον ήμῶν Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν τοῦ Θεοῦ οἰκονομίας*. Incarnationem Christi dicit *πρώτην οἰκονομίαν*, eodem sensu, quo in vita Constantini l. III. c. 41. *πρώτης τοῦ Σωτήρος Θεοφανίας* meminit, scilicet vt ista ab *οἰκονομία τοῦ πάδους* distinguatur.
- 2) Non accurate omnes istam *ἐπιφάνειας* et *ἐπιφάνιαν* diuersitatem obseruant scriptores ecclesiastici. Haud raro ipsam incarnationem Domini vocant *τὰ ἐπιφάνια*. Huius autem postremae vocis haec solet esse apud scriptores profanos vis, vt diem festum memoriae cuiusdam sacrum innuat. Ita esse ex ATHENAEO intelligimus, qui Deipnos l. XII. c. 11. narrat, Demetrium Phalereum memoriam occisi fratris sui, Himerai, sacrificiis coluisse, quasi *τὰ ἐπιφάνια τοῦ ἀδελφοῦ θύοντα*. Scilicet Gentiles *ἐπιφάνειαν* dicebant cuius-

Haec praemittenda erant, ne quem falleret ambiguitas vocis *ἐπιφάνεια*, quae, si significationem ecclesiasticam nostro tempore receptam sequimur, de Festo dici solet, quod iam olim ad recolendam memoriam aduentus Magorum institutum fuit. Primis vero ecclesiae seculis aliam fuisse huius festi rationem in ipso limine huius Dissertationis monere visum est. Scilicet si de Natali Saluatoris nostri loquimur, Epiphaniarum nomine veniunt sacri dies in memoriam natiuitatis Domini nostri Iesu Christi celebrandi, qui etiam *θεοφάνια* in ecclesia graeca dicti sunt, & quidem, vt GREGORIVS *nazianzenus* (Orat. XXXVIII 3) dicit, *ὅτι Θεὸς ἐφάνη ἀνθρώποις διὰ γενήσεως*. Isto nomine per aliquot secula Natalis Domini nostri in ecclesia graeca die sexto Ianuarii celebratus est, donec Graeci Latinos imitati Festum illud ad diem XXV. Decembris transferrent: qua facta mutatione nomen *ἐπιφάνων* cessit Festo, quod adhuc nostro tempore occupat diem sextum Ianuarii. Et quidem non immerito ad hoc Festum solum, quod primitiua ecclesia praeter aduentum Magorum, etiam memoriae Christi in Iordane baptizati sacrum esse voluit, nomen illud transit, ob manifestationem personarum diuinarum, quae, cum Iesus a Iohanne baptizaretur, contigit. 4)

Reliquum est, vt vnum adhuc commemoremus nomen, quod, cum rarius sit, & aliquid obscuritatis habere videatur, hac disputatione illustrare constituimus. Nimirum Natalis Domini nostri Iesu Christi a scriptoribus ecclesiasticis dicitur etiam *Festum luminum*, seu vt RVFEINVS habet, *Sancta lumina Epiphaniarum*; Graecis τὰ ἅγια φωτὰ, seu ἅγια τῶν φωτῶν ἡμέρα. Hoc nomine vsus est GREGORIVS *nazianzenus* in titulo

2

Ora-

- 3) Inferibitur ista Oratio, εἰς τὰ ἐπιφάνεια, εἰτ' οὖν γενέθλια τοῦ Σωτῆρος λόγος. In ipso exordio vocibus *θεοφάνια* et *γενέθλια* vsus sacer Orator, subiicit: λέγεται γὰρ ἀμφοτέρω· δύο κειμένων προσρηγοῦν ἐν πρᾶγματι. ἐφάνη γὰρ θεὸς κ. τ. λ. Illud *ἐφάνη* proxime accedit ad Paulinum illud *ἐφανερώθη ἐν σαρκί*, in priori ad Timotheum epistola, c. III. 16.
- 4) Tempore Imperatoris Iuliani adhuc Natalem Domini nostri *Ἐπιφανίων* nomine venisse, probat fide dignum AMMIANI MARCELLINI testimonium (lib. XXI.) „Vt omnes, inquit, „nullo impediendo ad sui fauorem illiceret, adherere cultui christiano fingeret, a quo „iam pridem occulte descuerat, sruspiciuae auguriisque intentus & caeteris quae deorum „semper fecere cultores. Et vt haec interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes „mense Ianuario Christiani Epiphania dicitant, progressus in eorum ecclesiam, sollempni- „ter numine orato discessit, „Locum istum, etsi ad Festum, quod mense Ianuario celebraba- „tur, pertinere, tamen non de alio, quam de Natali Christi, intelligendum esse, satis probari potest, tum ex iis quae SOCRATES (Hist. eccl. l. VI. c. 18. & SOZOMENVS (Hist. eccl. l. VI. c. 16.) referunt, tum ex loco fere gemino ZONARAE (Annal. T. III.) Eius enim de Iuliano Imperatore haec sunt verba. Αὐτὸς δὲ τῆς γενεθλίου τοῦ Σωτῆρος ἡμέρας ἐφεσκήδίας εἰσῆλθεν εἰς τὸν ναὸν, καὶ προσκυνήσας, ἠ' οὐκ ὁδοῦ ποῖς τραπεζαῖταις δοῦν, ἀπῆλθε. Ad simulatam istam Iuliani in Iesum, Dominum nostrum, pietatem alludere etiam videtur GREGORIVS *nazianz.* Orat. IX vbi teste illum alloquitur, & his inter reliqua vitur verbis: αἰδέσθείς, εἰ μὴ τι ἄλλο, ἢ τὸν καιρὸν αὐτὸν, tempus scilicet imperati post Christum natum a Caesare Augusto census.

Orationis trigesimae nonae, quae quidem, si argumentum spectemus, ad baptismum Christi pertinet, recitata autem est diebus Christo nato sacris, ut ex ipso Orationis illius initio intelligi potest. De Festo itaque, cui hoc impostum sit nomen, quaestio nulla fere est, operae autem erit pretium, inquirere, cur nomine isto veniat? Equidem triplici modo ad quaestionem illam responderi potest. *Sive* enim Natalis Domini nostri ideo *Festum sanctorum luminum* dictus est, quia Christus salutari luce sua collustravit, totum terrarum orbem, *sive* quod ad festum Encaeniorum Iudaeis olim sollemne, *sive* quod ad baptismum, ritusque baptismales respiciatur. Hae quidem sunt, quae cum aliqua veri specie proferri possent sententiae: quarum quae sit praecipua, lustratione facta apparebit.

Primo itaque nomen illud Natali Domini nostri datum esse potest, propterea quod Christus in sacris oraculis V. & N. T. saepissime cum lumine comparatur, uniuersum orbem collustrato, ut Ies. XLIX. 6. LX. 1. sequ. Luc. II. 32. Ioh. I. 4. 5. 9. Act. XIII. 47. Hanc nominis rationem suppeditat GREGORIUS, qui ab initio Orationis sacrae iam commemoratae his vitur verbis: ἡ γὰρ ἀγία τῶν Φωτῶν ἡμέρα, εἰς ἣν ἀφίγημα, καὶ ἡ ἐσπέραιον ἠξιώμεθα σήμερον, ἀρχὴν μὲν τοῦ τοῦ ἐμοῦ Χριστοῦ βάπτισμα λαμβάνει, τοῦ ἀληθινοῦ φωτός, τοῦ φωτίζοντος πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. Ἐεργεῖ δὲ τὴν ἐμὴν κάθαρσιν, καὶ βοηθεῖ τῷ φωτι, ὃ παρ' αὐτοῦ λαβόντες αἰώθεν ἀπ' ἀρχῆς ἐκ τῆς ἀμαρτίας ἐξοφώταμεν τε καὶ συνεχέμεν. Fatemur, hanc interpretandi rationem facilitate quadam commendari, immo ad usum loquendi istorum temporum satis accommodatam videri. Tamen, si ex natura Tropi, qui est in voce Φῶς, rem aestimemus, explicatio ista non quidem vitio laborare, manca autem esse videtur. Etenim dies natiuitatis Christi vocandus esset φωτισμὸς seu ἡμέρα φωτισμοῦ, non ἡμέρα φωτῶν. Obscurum esse non potest ex ipso hoc nomine, aliquam simul in eo inesse allegoriam, quam prodit plurale nomen φωτᾶ, quod, si non fallimur, ad frequentem luminum vel cereorum in sacris tum Iudaeorum tum Gentilium usum alludit. 5)

Alteram iam ingrediamur viam, ut symbolici illius nominis probabiliorem, si fieri possit, causam inuestigemus. Videamus, an ex antiquitatibus Hebraeorum apta peti possit ratio allusionis ad frequentiam luminarium vel cereorum? Et hoc quidem respectu non contemnenda videtur coniectura, in quam dudum inciderunt Eruditi, primam originem sollemnitatis Natalibus Saluatoris nostri sacrae, petendam esse ab Encaeniis olim a
Iu.

f) HILDEBRAND de diebus festis, p. 20. seq.

Iudaeis maxima cum laetitia celebratis. Iam itaque de Encaeniorum origine ac sollempnitate paucis disputabimus.

Ex primo Maccabaeorum libro, eiusque quarto Capite intelligimus, Iudam Maccabaeum hostibus profligatis repurgasse templum, nouum extruxisse altare, totumque adeo cultum sacrum Iudaeorum restaurasse. Die vigesimo quinto mensis noni, seu Chisleu, quem ex parte Decembri nostro respondere putant, denuo coeperunt Iudaei sacris suis maxima cum laetitia vacare, & per octo dies Festum restaurati cultus sacri celebrare. Mandatum quoque est a Iuda Maccabaeo, vt dies illi festi quotannis a Iudaeis per octiduum celebrarentur. ⁶⁾ Ab eo tempore sollempnia ista quouis anno celebrata esse, suaeque adhuc aetate obtinuisse, testis est IOSEPHVS (Antiquit. iudaeic. l. XII. c. 7 exeunte) qui etiam refert, nomen huic festo datum esse Φωτά, vel vt alii scribunt, Φῶτα. ⁷⁾ Haec sunt ἐγκαινία, quae Christus Hierosolymis celebravit, vt Ioh. X. 22. 23. ⁸⁾ legimus, ad quem locum LIGHTFOOTVS (in Horis Hebr. & Talmud. ad Iohannem) multa ex Talmudicis scriptoribus congescit, quae hic non repetimus. Vnus ille, quem ex MAIMONIDE attulit, locus, dignus est quem adscribamus. Ita vero ille (in Hilchot Megillah & Chanuchah: „Propter hoc instituerunt sapientes, qui „erant in ista generatione, vt octo isti dies a 25. Chisleu sint dies laetitiae, & Hallel, vtque in iis accendant lucernas vespere ad ostia domorum, vna „quaque nocte istarum octo ad declarandum & manifestandum illud miraculum. Et dies isti vocantur חנוכה hoc est dedicatio, & prohibetur „in iis lugere & jejunare.,

Haec de origine Encaeniorum monuisse sufficiat. Multa autem impediunt, quo minus nobis persuadeamus, Festo illi Iudaeorum originem debere

- 6) Mandatum illud 1^o Macc. IV, 59. his exprimitur verbis: Καὶ ἔστησεν Ἰούδας καὶ πάντα ἐκκλησίαν Ἰσραὴλ ἢ αὐτῶν αἱ ἡμέραι ἐγκαινισμοῦ τοῦ θυσιαστηρίου ἐν τοῖς καιροῖς αὐτῶν ἐναυτὸν κατ' ἐναυτὸν ἡμέρας ὅτι αὐτὸ ἀπὸ τῆς πεμπτῆς καὶ εἰκόδος τοῦ μηνὸς χασελεύ, μὲτ' ἐμφροσύνης καὶ χαρᾶς. His gemina sunt, quae habet IOSEPHVS (Antiquit. iud. l. c.) qui bene obseruat, hanc sacrorum sollempnium restorationem factam esse eodem post elapsos tres annos, die, quo templum ab Antiocho M. destructum fuerat.
- 7) Dignus, qui adponatur locus hic est: Καὶ ἐξ ἐκεῖνου μέχρι δέυρο τὴν ἑορτὴν ἀρχομένω καλοῦντες αὐτὴν Φωτά. Nominis rationem hanc adiungit: ἐκ τοῦ παρ' ἐλπίδος οὐραμὶ ταύτην ἡμῶν Φανῆσαι τὴν ἐξουσίαν, τὴν προσηγορίαν δέμενοι τῇ ἑορτῇ. In hac quidem nominis Φωτά interpretatione recessit IOSEPHVS a gentis suae magistris, qui lucernarum tempore hoc sollempni accensarum multitudinem, nomini illi occasionem dedisse fere omnes prohibent. Facilius tamen hanc admitteremus etymologiam, quam lepidam illam a MAIMONIDE l. c. narratam fabulam, scilicet vnicam modo olei puri lenticulam fuisse in templo repertam, quae vix vni sufficisset diei, miraculo autem factum esse, vt per totum octiduum arserint lucernae, donec aliud oleum purum comparari poterit. Hinc & Φωτῶν & λυχνουκίας nomen sumtum putarunt creduli.
- 8) Fallitur NONNVS, qui in paraphrasi metrica Ioannis, locum illum de Festo in memoriam inaugurati templi Salomoni celebrato interpretatur.

bere sollempnitatem memoriae Christi nati sacram. Nouimus quidem, non paucos cum VITRINGA, et STEPH. LE MOYNE in hanc propendere sententiam, Christianorum dies festos praecipuos a sacris Iudaeorum, immo etiam gentilium, feriis originem suam deriuare: at vero quae in hanc rem dicta sunt, plurima, speciem quidem aliquam prae se ferunt. sed inrer coniecturae limites subsistunt. Verum quidem est, primos in Christianorum coetu sacrorum antistites, ipsosque adeo Apostolos, hos illosque synagogae ritus sub initium nascentis ecclesiae abrogare noluisse, multaque in istos ritus συγκαταβάσει esse vsos, sed isto argumento in hac causa multi abutuntur. Cum non liceat nobis in historiam omnium quae Christianis sollempnia sunt, Festorum, excurrere, iustis nos continemus limitibus. Qui sacra natalitia Iesu Christi ab encaeniis originem habuisse existimant, nituntur praecipue *tuum* nominis, quod supra posuimus, similitudine, *tuum* mensis, in quem vtrumque Festum incidit, aequalitate. Ad prius autem quod attinet, nimis ieiunum illud est, & maxima ex parte Talmudicorum parum firmae auctoritati superstructum. Si vel millenis Iudaei dies encaeniales collustrassent luminibus, vt fere Talmudici iactitant, immo si vel maxime Iosepho credimus, *Luminum* nomen istis sacris fuisse impositum, tamen credulitate superiores esse deberemus ipsis Iudaeis, si Festum natiuitatis Iesu Christi propterea quod simili quidem, sed forte ab alia causa deriuando nomine insignitur, ab Encaeniis ortum & nomine φωτων ornatum, statueremus. Non magis firmo stat talo argumentum alterum, etsi multum illi tribuant, qui huic sententiae fauent. Chronologiae sacrae apprime ignarus debet esse, quem fallere possit aequalitas mensis quem forte sibi vindicat vtrumque Festum. Ne iam de vario Iudaeorum menses cum nostris componendi modo dicamus, liberaliter concedemus, quod sumunt illius sententiae patroni, scilicet mensem Iudaeorum Chisleu Decembri nostro, saltem ex parte respondere. An vero inde sequitur, dies sacros, quibus nos memoriam Christi nati celebramus, ortum suum debere Festo, cui eodem fere tempore Iudaei vacabant? Maior est difficultas, quae ad ipsum natiuitatis Christi mensem attinet, de quo post multas Eruditorum, nostro etiam tempore repetitas, disputationes, adhuc sub iudice lis est. Quid? si ponamus, veram esse sententiam SCALIGERI, 9) qui probare aggressus est, natalem saluatoris nostri esse ad mensem Septembrem referendum, quae tunc hypothese quam impugnamus, reliqua esset species? 10) Augetur

9) Ab ista SCALIGERI sententia non omnino alienus est WAGENSEIL (Sota, p. 946. seq.)

10) Habent fere, qui sententiae illi patrocinantur, quod doleant, auctoritate inter nos non valere Canones, quos apostolicos dicunt, qui quidem generalius tantum de nono mense

tur difficultas inaequalitate, quae ex vario annos mensesque computandi modo non potuit non oriri, quaeque tanta est, ut multorum annorum spatio vix semel poterit Natalis Domini nostri in eundem cum Iudaeorum euaeniis, diem incidere, Sed his non immorabimur amplius.

Ad *tertiam* progredimur nominis, de quo disputamus, explicandi rationem, a baptismo eiusque ritibus sumtam, quam quidem duabus aliis praestare arbitramur. Scilicet *sanctorum Luminum* nomine dies natalis Saluatoris nostri insignitus esse videtur ideo quod ecclesia orientalis per aliquot secula Natalem istum die sexto Ianuarii celebraverit, adeoque eodem die quo memoriam baptismi Iesu Christi solebat recolere. ¹¹⁾ Nihil itaque obstat, quo minus ad utrumque Festum referatur nomen τῶν Φωτῶν, etsi non negemus, illud proxime ad festum diem baptismi Domini nostri spectare. Huic enim sollempnitati nomen illud *Luminum* apprime aptum erat, siue effectus baptismi salutare, siue ritus, quos buprismales dicunt, spectemus. Sacro enim illi lavacro non immerito vis illuminandi animum (Φωτισμός Graecis, ut ipse baptrismus Φώτισμα, dici solet) tributur. Recte THEODORETUS ad Psalm. XXXIII. 9. (Edit. quae hic prodiit T. I p. 815.) scribit διὰ τοῦ παναγιου βαπτισματος ὁ ἀληθὴς Φωτισμὸς τοῖς προσκυῖσι προσήγεται. Et GREGORIUS nazianzenus (Orat. XL ab initio) τὸ Φώτισμα, ait, λαμπρότης ἐστὶ ψυχῶν, βίου μετὰ θεοῦ, ἐπερώτημα τῆς εἰς θεοῦ συνειδήσεως. Τὸ Φώτισμα βοήθεια τῆς ἀδελφείας τῆς ἡμετέρας. Τὸ Φώτισμα, σαρκὸς ἀπόθεσις, πνεύματος ἀπολούθησις, Λόγου κοινωνία, πλάσματος ἐπανόρθωσις, κατακλυσιμὸς ἀμαρτίας, Φωτὸς μετουσία, σκότους κατάλυσις τὸ Φώτισμα, ἔχημα πρὸς Θεόν, συνειδημία χριστοῦ, ἔχεισμα πίσεως, τοῦ τελείωσις, κλεῖς οὐρανῶν βασι-

λει-

loquuntur, Iudaeorum autem sine dubio intelligi volunt menses. Ita vero habet locus iste ex Constitutionibus apostolicis l. V. c. 13. inuenta: Τὰς ἡμέρας τῶν ἑσπέρων Φυλασσητε ἀδελφοί, καὶ πρώτην ἡε τὴν γενέθλιον, ἥτις ὑμῶν ἐπιτελεῖσθε εἰκάδι πέμπτη τῆ ἑνάτου μηνός. μεθ' ἧν ἡ ἐπιφάνιος ὑμῶν ἐστὶ τιμιωτάτη, καθ' ἧν ὁ Κύριος ἀνέδειξεν ἡμῖν τῆς οἰκίας θεότητος ἐπισηματο. ἡμεσθω δὲ καὶ αὐτῆ ἔκτη τὰ δεκάτη μηνός. Ad haec postrema verba vide quae COTELERIUS notauit, in Opp. SS. Patrum apostolic. T. I. p. 317.

- 11) In ecclesiis quibusdam memoriam Christi nati & baptizati coniunctam, seu vno eodemque die, scilicet sexto Ianuarii, olim celebratam fuisse, donec Natalis Iesu Christi ad diem XXV. Decembris transferretur, iam supra monuimus. Nec dubitationi locum relinquit GREGORIUS nazianzeni Oratio XXXIX. quae cum precedente tam arte cohaeret ut satis appareat, eam quae trigesima octava est numero, & de natiuitate Christi agit, praecessisse, istam vero eodem die excepisse alteram, quae est numero trigesima nona, & de baptismo Christi exponit. In Proemio, Homilia 38. rhetor desieclit orationem ab iis omnibus quae non proxime ad natiuitatem Saluatoris nostri attinent. Ταῦτα μὲν, inquit, ὤρερον, τὰ δὲ τοῦ θεοφάνια ἢ πανηγυρίαι. Orationem vero 39. orditur a verbis Πάλιν Ἰησοῦς ὁ ἐμὸς. καὶ πάλιν μωσῆρειον. Et in media eius parte (Edit. Paris. T. I. p. 632.) his vitur verbis: τῆ μὲν ἐν γεννησὶ τὰ εἰκότα προσερετάσμεν κ. τ. λ. Post aliqua interposita sic pergit: νυνὶ δὲ πρῶξις ἀλλῆ Χριστοῦ καὶ ἄλλο μωσῆρειον, scilicet baptismus Christi, cuius salutarem ad nos rationem prolixè exponit.

λείας, ζωῆς ἀμειψίς, διελείας ἀνάξεις, δεσμῶν ἔκλυσις, συνθέσεος μεταποίησις.

Hos salutares baptismi effectus symbolicis quibusdam ritibus significauit primitiua ecclesia. De his quidem, quos copiose recenset GREGORIVS (in fine Oratonis XL.) iam non disputamus. Hoc vnicum autem attingendum est breuissime, inter hos ritus baptismales fuisse etiam vsum cereorum accensorum, quos illi porrigebant, qui sacro initiatus erat lauacro. De his GREGORIVS (l. c.) αἱ λαμπάδες, inquit, ὥσπερ ἀνάψεις, τῆς ἐκείθεν φωταγωγίας μυσήριον, μεθ' ἧς ἀπαντήσομαι τῷ νυμφίῳ, Φαῖδραι καὶ παρθέναι ψυχαι Φαῖδραῖς ταῖς λαμπάσι τῆς πίσεως, μήτε καθεύδουσαι διὰ ῥαθυμίαν, ἵνα μὴ λάθῃ πικρῶν ἀδοκίμως ὁ προσδοκώμενος, μήτε ἀτροφοὶ καὶ ἀνέλαιοι, καὶ καλῶν ἔργων ἐπίδειξις, ἵνα μὴ τοῦ νυμφῶνος ἐκπέσωμεν.

* * *

Vos autem, *Humanissimi Ciues* compellamus, & hac vtimur oportunitate, *Vos* monendi, vt de salute *Vestra* per hos sacros dies promouenda sitis solliciti. Cogiteris, quantum Deus nobis probauerit amorem, cum Filium suum nobis, & in illo euλογίαν πνευματικὴν ἐν ἐπουρανίαις dederit. Cogiteris, quantum vos vicissim tantorum bonorum largitori debeamus! Non indignos itaque *Vos* praebeatis beneficiis istis, quae in Christo *Vobis*, vt omnibus, sunt parata. Tales *Vos* praesteris, quales esse decet eos, qui Christi profitentur nomen. Ne quis *Vestrum* se alienum esse probet ab eo, qui nostram assumsit carnem, ideoque fratrum suorum nos non indignos habuit nomine. Hanc tueri studeatis praerogatiuam, qua non illustrior est alia. Sacris, qui instant, diebus ita in salutem *Vestram* vtamini, vt ab iusta eorum aestimatione & celebratione vberissimi in *Vos* redundent fructus. Nostis enim fore, vt qui manifestatus est olim in carne, aliquando redeat μέλλων κερνεῖν τὴν οἰκουμένην ἐν δικαιοσύνῃ. Animum itaque a voluptatibus purum seruate, et ad aeternitatem sapite. P. P. in Academia Fridericiana, d. XXIV. Decembris, A. R. S. MDCCLXXVIII.



Kapitel 72 M 388

(16.)


ULB Halle 3
006 805 000



v. 18.







Farbkarte #13

B.I.G.

160 (20) 885 M85 Leipzig



31

IOANNES LVDOVICVS SCHVLZE

S. S. THEOL. PROFESS. PVBL. ORD.

ET ORPHANOTROPHEI GLAVCHENSIS CONDIRECT.

DISPVATIONE

DE

FESTO SANCTORVM LVMINVM

EX

ANTIQVITATIBVS CHRISTIANIS

SACRA NATALITIA

DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI

RELIGIOSE CELEBRANDA

INDICIT

HALAE MAGDEBVRGICAE

LITTERIS IOANNIS CHRIST. HENDELII

MDCCLXXVIII.

